



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

Clemens X.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)



ANNO  
1668.

tatis vitio, seu intentionis nostræ, aut quovis alio defectu notari, impugnari, redargui, limitari, infringi, modificari, retractari, seu in Controversiam vocari, aut adversus illas, quodcumque juris, facti, gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu proprio, atque ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine emanato vel concessio, quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare, nullatenus unquam posse, sed semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere debere, nec illas sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendere, aut comprehensas semper ab illis exceptas esse & fore, sicque per quoscumque Iudices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Curia Camera Apostolicæ Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Vice-Legatos & Nuntios in quavis instantia eis sublata iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca dilectis Sancti Dionysii, & Sancti Germani Parisiensis Monasteriorum Ordinis Sancti Benedicti Abbatibus, ac Archidiacono majori nuncupato Ecclesiæ Parisiensis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alium, seu alios præsentis Litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Ludovici, & pro tempore existentis Francorum Regis, & Cancellarii, Præfidentium & Consiliariorum prædictorum, etiam pro tempore existentium, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentis litteras, & in eis contenta huiusmodi firmiter, & immobiliter observari, ac singulos, quos ipsæ concernunt, eis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque contra earundem præsentium tenorem quomodolibet molestari, contradictores quoscumque & rebelles per censuras Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiasticis in quibus Beneficia ipsa, Ordinum quorum Beneficia Regularia extiterint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod ii ex Regiis nominatis prædictis, quibus Beneficia Regularia, ut præfertur, commendari contigerit, infra octo Menses à die Commendæ sibi de illis factæ computandos, novam illorum Commendam à Sede prædicta impetrare, ac jura Cancellariæ Apostolicæ, & aliis propterea debita persolvere omnino teneantur, alioquin fructus non faciant suos, & ad illorum Restitutionem teneantur, & Commendæ ipsis, ut præfertur, factæ cessent, eisque cessantibus, Beneficia prædicta vacent eo ipso, quodque in vacatione Beneficii Regularis Regiis nominatis vigore Litterarum huiusmodi pro tempore commendati, quod antea commendari non consueverat, sed immediato illius possessori tantum pro prima vice, seu forsan etiam

cum decreto revertendi in titulum commendatum extiterat, Beneficium prædictum amplius commendari nequeat, sed ad pristinam tituli naturam reverti, & Personæ Regulari in titulum conferri debeat, & Commendæ aliter, & sine expressione præsentis Decreti factæ nullæ sint eo ipso, quodque prædictæ Pauli Prædecessoris Litteræ in reliquis omnibus, & præsertim in ea parte, ubi declaravit, S. R. E. Cardinales, Ordinarios Collatores sub Indulto huiusmodi minime comprehendere, salvæ, & illæse remaneant, ac omnino servari debeant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, decreti, mandati & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1667. sexto decimo Calend. Aprilis. Pontificatus nostri anno primo.

*Enregistré es Registres du grand Conseil du Roy, suivant l'Arrest ce jour d'buy donné en iceluy. A Paris le seizième jour de Novembre 1668.*

*Signé HERBIN.*

CLEMENS DECIMUS,  
PONTIFEX CCXLIII.  
ANNO DOMINI MDCLXX.

Vide Compend. Vitæ in *Magno Bullario Romano hujus Ed. 1727. Luxemb. Tom. VI. fol. 288.*

BREVE S. S. D. N.  
CLEMENTIS PAPÆ X.

Confirmationis, & novæ Concessionis Indulgentiarum, &c. pro Archiconfraternitate Cincturatum, & Cincturatarum nuncupata S. Augustini, & Sanctæ Monicæ sub Invocatione Beatæ Virginis Mariæ de Consolatione Bononiæ erecta in Ecclesiâ S. Jacobi. Anno 1675.

CLEMENS PAPA X.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**E**X injuncto Nobis cœlitus Apostolicæ servitutis munere spiritualium gratiarum concessionibus ex pia, prudentique huius Sanctæ Sedis dispensatione providè emanatas, quibus Christi fidelium devotio ad pietatis opera incitatur, & confoveatur, Apostolici muniminis præsidio libenter constabimus, & aliàs desuper statuimus, sicut matura deliberatione prævia ad Omnipotentis DEI Gloriam, & animarum Salutem expedire in Domino arbitramur.

Dudum siquidem fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædecessor noster omnia, & singula Privilegia, Indulgentias, Prærogativas, Facultates, Gratias, & Indulta quæcumque Archiconfraternitati Cincturatum, & Cincturatarum nuncupata S. Augustini, & Sanctæ Monicæ sub Invocatione B. Virginis Mariæ de Consolatione nuncupata in Ecclesiâ S. Jacobi Bononiens. canonicè instituta, sive aliis quorumcumque locorum Confraternitatibus ei debite annexis, & illius, sive illarum utriusque sexus Confratribus Cincturatis pro tempore existentibus, tam per rec. mem. Gregorium XIII. & Gregorium XIV. quàm quoscumque alios Romanos Pontifices Prædecessores pariter nostros quandocumque, & quomodocumque, etiam per viam, & modum Extensionis, Ampliationis, & Communicationis, ac aliàs sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis Clausulis, & Decretis

catenus



ANNO  
1675.

eatenus quomodolibet concessa, & aliquando revocata, ac sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, restrictionibus, & modificationibus Auctoritate Apostolica, etiam quodocunque, & qualitercunque factis comprehensa, Decretis tamen Concilii Tridentini non repugnancia, nec non litteras desuper emanatas eadem Auctoritate perpetuo approbavit, & confirmavit, ac innovavit, eisque perpetuæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjecit; Et nihilominus pro potiori cautela, illa omnia cum eorum extensionibus, ampliationibus, & communicationibus prædictis de novo etiam perpetuo concessit, & aliàs prout in ipsius Gregorii XV. Prædecessoris desuper sub Plumbo Anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XXI. tertio Nonas Junii expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, ulterius continetur.

Cùm autem, sicut Venerabilis Frater Josephus Eufanius Episcopus Propyriæ. Sacrarum nostri Apostolici Præfectus, Nobis nuper exponi fecit, subinde Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, quasdam litteras die XXIII. Martii MDCXXXIX. ad tunc existentem priorem Generalem Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini dederit, quibus Indulgentiæ Archiconfraternitati, eique aggregatis Confraternitatibus prædictis à Romanis Pontificibus concessæ, quippe quæ à piæ mem. Paulo Papa V. etiam Prædecessore nostro per suas litteras, quarum initium *Cum certas* &c. die II. Octobris MDCVI. editas revocata fuerant, tamen à memorato Gregorio XV. Prædecessore per suas litteras præfatas innovata fuissent, rejici posse videbantur. Verùm Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita, re diligentius examinata, censuerit, nihil obstat, quo minus Archiconfraternitati, & Confraternitatibus hujusmodi Confratres omnibus & singulis Indulgentiis per easdem Gregorii XV. Prædecessoris litteras confirmatis & innovatis uti, & frui possent, ac deberent, & aliàs prout in ipsius Congregationis Decreto desuper XVII. Aprilis MDC LXXIII. emanato, etiam continetur. Quia verò in dictis Gregorii Prædecessoris litteris specificè non exprimitur Indulgentiæ à prædictis Romanis Pontificibus concessæ, idè ab eadem Congregatione Cardinalium delecti fuerint duo ex Consultoribus illius, nempe dictus Josephus Episcopus, ac dilectus Filius Julius Maria de Blanchis Ordinis Prædicatorum Professor, in Sacra Theologia Magister, qui singulas Indulgentias hujusmodi ex authenticis colligerent Documentis, ad hoc, ut possent postmodum ad formam Constitutionis similis rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris pariter nostri, quæ incipit *Quæcumque* &c. Et Decreti ejusdem Congregationis die XVI. Martii dicti Anni MDC LXXI. editi, nominatim, & in specie communicari. Ipsi autem Consultoribus sic delectis, de nonnullis Indulgentiarum capitibus non consentientibus, visum fuerit eidem Cardinalium Congregationi, quicquid in controversiam veniret, bon. mem. Joanni, dum vixit S. R. E. præfate Præsbytero Cardinali Bonæ nuncupato, definiendum proponi; Et post habitam inter eosdem Consultores collationem, iterumque examinata capita illa, consentientibus in cunctis Consultoribus prædictis, reque omni per præfatum Joannem Cardinalem expeasa, & probata, confectum fuerit Summarium Indulgentiarum hujusmodi ex Originalibus Romanorum Pontificum litteris, aliisque authenticis Documentis excerptum, tenoris qui sequitur, videlicet.

## SUMMARIUM.

*Indulgentiarum Archiconfraternitatis Cincturatum S. Augustini, & Sanctæ Monica sub Invocatione B. Virginis Mariae de Consolatione erectæ Bononiæ in Ecclesia S. Jacobi, & Confraternitatum eidem aggregatarum.*

PRæmittendum primò, Confratres Cincturatos utriusque sexus uti, frui, & gaudere Indulgentiis, & Gratiis spiritualibus toti Ordini Eremitarum S. Augustini concessis ex Gregorio XIII. in Brevi *Ad augendam* die XVI. Dec. MDLXXVIII. anno VII. Pontificatus. Et in alio ejusdem Pontificis *Cum sicut* &c. die XV. Decemb. MDLXXIX. his verbis. Confratres utriusque Sexus Confraternitatum Corrigiatorum nuncupatarum Sancti Augustini, ut frui, & gaudere possint Indulgentiis, & participes fieri omnium Gratiarum spiritualium Ordini ipsius Sancti Augustini concessarum, omniumque Bonorum, quæ in dicto Ordine pro tempore fiunt, inter alia teneantur quotidie recitare tredecim Pater Noster, & totidem Ave Maria, & unum Salve Regina pro Salute Romani Pontificis, & felici statu Sanctæ Matris Ecclesiæ; Et si ipsum Salve Regina dicere ignoraverint, loco Salve Regina quinque Ave Maria devotè recitando, eadem Indulgentias, & Gratiis spirituales consequantur, quas consequerentur, si ipsum Salve Regina recitarent.

Secundò præmittendum est, quòd Leo X. *Solet annuere* VII. Kalen. Augusti MDXIII. anno primo, singula Privilegia, Immunitates, Exemptiones, Concessionones, Indulgentias, & peccatorum plenarias Remissiones, & Indulga quæcumque quibusvis Domibus, & Congregationibus, aut aliis Locis, & illorum Personis dicti Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini olim in genere, vel in specie concessa, ac in posterum concedenda, ad ipsum Ordinem Fratrum Eremitarum S. Augustini, & illius Personas, ac si illis specialiter concessæ fuissent, extendit, & communicat, ut eis gaudeant, & utantur, ac si eis, & singulis eorum Domibus, & Personis in specie concessa fuissent. Hoc idem antea in simili forma conceperat Julius II. *Dum fructus uberes* VII. Kalen. Julii MDVII. anno IV. Et Alexander IV. licet non tam generaliter in Bulla *Ut eò libentius* XIII. Kalen. Augusti anno primo. Nec non in alia *Oblata Nobis* XII. Kalen. Maji anno III. Quæ fuerunt innovatæ per Martinum V. *Sincere* IV. Kalen. Maji anno VI. Et per Sixtum IV. *Dum fructus uberes* MCCCC LXXIV. VII. Idus Febrarii anno IV. in Mari Magno. Denique Idem Sixtus IV. in Bulla *Inter præcipuas* MCCCC LXXII. X. Kalen. Januarii anno II. Congregationi Lombardiæ præfati Ordinis, ejusque Professoribus, Domibus, & Locis universis concedit, & pariter indulget, quòd ipsi omnibus, & singulis Privilegiis, Exemptionibus, Libertatibus, Immunitatibus, Indulgentiis, & Gratiis, Ecclesiæ & Domui de Populo, earumque Personis per Sedem Apostolicam hæcenus concessis, in omnibus & per omnia uti valeant, & gaudeat.

Tertiò. Præmittendum est, quòd Gregorius XIII. in Brevi *Ad augendam* ut supra, inter Gratiis spirituales dictæ Confraternitati tam in particulari concessas, quam forsitan per participationem Indulgentiarum Ordinis Eremitarum S. Augustini, vel cujusvis alterius Religionis communicatas, nonnullæ repertiuntur cum clausula manus adjunctrices porrigendi, quæ quidem per Sedem Apostolicam fuerunt revocatæ, vult, & decernit,



ANNO  
1675.

quòd eademmet Indulgentiæ, & Spirituales Gratia dictis Confratribus suffragentur æquè, ac si in illis dicta Clausula non adellet, quam penitus abrogat, dummodò loco porrigendi manus adjunctrices, quinque vicibus Orationem Dominicam, & totidem Salutationem Angelicam pro Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, ac hæresium extirpatione recitent.

*Ultimò* præmittendum est, quòd Julius II. *Nihil est* die XXIV. Septembris MD VIII. Pontificatus anno quinto, ut omnia quàm firmissima sint, quæ Ordini prædicto Apostolica Sedes clarigata est, proprio & motu, & scientia, atque de plenitudine potestatis vult, statuit, & decernit, ut quæcunque concessio Ordini præfato facta, sive per se, sive per Communionem, quam fecit cum aliis Ordinibus, & Congregationibus, eandem omninò vim, atque efficaciam perpetuò habeant, tam in Judicio, quàm extra Judicium, ac si plumbeo sigillo obfirmata essent, quod intelligi vult tam de his, quæ in forma Brevis, quàm de his, quæ per supplicationes expeditæ sunt, in quibus placuit, ut sola signatura sufficeret: Quamobrem quæcunque fuerunt eidem Ordini utcunque concessa, sive ipsa Exemplaria, sive eorum transumpta ostendantur, Prælati alicujus, aut publici Notarii manu signata, aut etiam Generalis Ordinis sigillo firmata eodem motu, scientia, & potestate decernit, mandatque, eandem omninò, & vim esse, & fidem adhiberi, ac si plumbi signum haberent. Idem habet Leo X. *Licet sponte* die VI. Maji MD XIV. Pontificatus anno II.

*Indulgentia autem prædictis Confratribus, seu Confororibus concessa, sunt sequentes:*

**I**N festis Domini, & Primò. In Nativitate Domini nostri Jesu Christi, Collegium XXIV. Cardinalium in literis sub dat. Romæ anno M CCCC XCVIII. die XXVIII. Maji sub Alexandro VI. anno VI. videlicet; Quilibet ipsorum per se præfatis utriusque Confratribus verè poenitentibus, & confessis, qui Capellam Confraternitatis à primis usque ad secundas Vesperas inclusive devotè visitaverint, & manus porrexerint adjunctrices (ex Indulto Gregorii XIII. ut supra quinque Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam recitaverint) annuatim pro die prædicto, quo id fecerint, centum dies de injunctis eis poenitentis, misericorditer in Domino relaxat: Quod ex Constitutione Sixti IV. Inter præcipuas confirmatur.

*Secundò* in Festivitate Sancti Spiritus, & usque ad octavam ipsius, eisdem ut supra Confratribus verè poenitentibus, & confessis, qui Ordinis Ecclesiam, & Capellam, vel Altare Confraternitatis annis singulis venerabiliter visitaverint, unus Annus, & quadraginta dies de injuncta poenitentia misericorditer relaxantur: Alexander IV. *Sanctorum meritis* III. Id. Februarii Pontificatus anno III.

*Tertiò* in festis Nativitatis Christi, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, & Pentecostes, ac per Octavas eorum, & in festo Circumcisionis prædictis Confratribus verè poenitentibus, & confessis atque manus porrigentibus adjunctrices (Ex Indulto Gregorii XIII. quinque, ut supra) nec non Ecclesias Ordinis, & Altare, vel Capellam Confraternitatis annuatim devotè visitantibus, mille Anni, & totidem quadragenæ misericorditer relaxantur. Innocentius IV. *Quoniam* VI. Kalen. Maji Pontificatus anno primo.

*Quartò* in omnibus Festivitatibus Domini nostri

Jesu Christi, & per octavas ipsarum præfatis Confratribus verè poenitentibus, & confessis, venientibus ad Ecclesias Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, & Altare vel Capellam Confraternitatis, ut supra visitantibus, LXX. Anni, & totidem quadragenæ Indulgentiæ; Eisdemque pariter visitantibus, ut supra, in omnibus prædictis festis Domini, dando aliquid in adjutorium pro fabrica dictarum Ecclesiarum, sive Oratorii, vel Capellæ Confraternitatis (Ex Indulto Gregorii XIII. quinque ut supra) per quamlibet illarum festivitatum Centum anni, & centum quadragenæ Indulgentiæ suorum peccatorum conceduntur: Gregorius IX. *Ex Transumpto Ascensi* die X. Januarii MD LXXIV.

In festis Beatæ Mariæ Virginis, & primò in festivitate Nativitatis ejusdem Virginis Mariæ Confratribus prædictis verè poenitentibus, & confessis, qui Ordinis Ecclesiam, & Altare, vel Capellam Confraternitatis à primis Vesperis usque ad secundas Vesperas devotè visitaverint annuatim, & manus porrexerint adjunctrices (Ex Indulto Gregorii XIII. quinque &c.) illa Indulgentia, & remissio peccatorum conceditur, quam, Ecclesiam Beatæ Mariæ in Portiuncula dictam de Angelis extra muros Assisinatenses primo (hoc est à Vesperis primis ejusdem diei) & secundò diebus mensis Augusti annuatim visitantes quomodolibet consequuntur. Bonif. IX. *Dum Præcella*. III. Kalen. Septembris Anno XI. Eodemque die prædicti Confratres verè poenitentes, & confessi, seu statuti à Jure temporibus firmum consistendi propositum habentes, qui Ordinis Ecclesiam, & Altare, sive Capellam Confraternitatis à primis Vesperis usque ad secundas Vesperas diei hujusmodi devotè visitaverint, & inibi pro Sanctæ Matris Ecclesiæ Exaltatione, & hæresium extirpatione, nec non Pace inter Principes Christianos conservanda ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem consequuntur. Pius IV. *Salvatoris* Anno Incarnationis Dominicæ MD LXIII. X. Kal. Martii anno V. Eadem pariter die Gregorius XIII. *Reddituri* ut supra, iisdem verè poenitentibus, confessis, ac Sacra Communionem refectis, qui Ecclesiam Ordinis, ac Confraternitatis Altare à primis Vesperis usque ad occasum Solis devotè visitaverint, & pias inibi preces ad Deum pro Sanctæ Matris Ecclesiæ Exaltatione, infidelium conversione, & hæresium extirpatione, ac aliis pro ut unicuique suggeret devotio, fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem elargitur. Similiter in eadem Nativitate, ac etiam in Annunciatione ejusdem Beatæ Mariæ Collegium XXIV. Cardinalium, ut supra, annuatim pro singulis festivitatibus, seu diebus prædictis, quibus id fecerint, centum dies de injunctis eis poenitentis misericorditer in Domino relaxat.

*Secundò*, In Dominica infra octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis prædicti Confratres verè poenitentes, & confessi, ac devotè visitantes Ordinis Ecclesiam, & Capellam Confraternitatis, ut supra, à primis Vesperis usque ad occasum Solis subsequenti diei, & manus porrigentes adjunctrices (Ex Indulto Gregorii XIII. quinque &c.) lucrantur omnes, & singulas Indulgentias etiam plenarias per fel. rec. Innocent. IV. & alios Romanos Pontifices Prædecessores visitantibus Ecclesias Domorum dicti Ordinis, & manus porrigentibus adjunctrices (Ex Indulto Gregorii XIII. quinque &c.) concessas. Julius II. *Et si Cuncti* Non. Julii MD VI. anno III.

Tertiò



ANNO  
1675.

*Tertio.* In festo Assumptionis, Nativitatis, Annunciationis, & Purificationis Beate Mariæ, nec non per octavas Nativitatis, & Assumptionis ejusdem beate Mariæ prædictis Confratribus verè poenitentibus, & confessis, atque manus porrigentibus adjutrices (Ex Indulto Gregorii XIII. quinquies &c.) nec non Ordinis Ecclesias, & Capellam, aut Altare Confraternitatis annuatim devotè visitantibus mille Anni, & totidem quadragenæ misericorditer relaxantur. Innocentius IV. *Quoniam* ut supra.

*Quarto.* In omnibus Festivitatibus beate Mariæ Matris Domini nostri JESU Christi, & per octavas ipsarum præfatis Confratribus verè poenitentibus, & confessis, qui ad Ecclesias Ordinis venerint, & Capellam, vel Altare Confraternitatis visitaverint, LXX. anni, & totidem quadragenæ Indulgentiæ; Eisdemque pariter visitantibus, ut supra in omnibus prædictis festis Dominæ nostræ Sanctæ Mariæ, dando aliquid in adjutorium pro fabrica dictarum Ecclesiarum, sive Capellæ, vel Altaris Confraternitatis (Ex Indulto Gregorii XIII. quinquies &c.) per quamlibet illarum festivitatum, centum anni, & centum quadragenæ Indulgentiæ suorum peccatorum conceduntur. Gregor. IX. ut supra.

*Quinto.* Singulis anni festis ejusdem B. M. Virginis, Greg. XIII. *Ad ea* die XV. Junii MDLXXV. Pont. anno IV. omnibus, & singulis utriusque sexus Confratribus prædictis verè poenitentibus, & confessis, qui Altare ut supra devotè visitaverint, & ibi oraverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedit, & relaxat.

In festis Apostolorum, & primò in festivitate Sancti Jacobi Majoris Collegium XXIV. Cardinalium, videlicet quilibet ipsorum per se eisdem Confratribus verè poenitentibus, & confessis, atque visitantibus, ut supra, annuatim die prædicto quo id fecerint, centum dies de injunctis eis poenitentis misericorditer in Domino relaxat.

*Secundò* in festo Apostolorum Petri, & Pauli, & in solemnitatibus Apostolorum, & Evangelistarum eisdem Confratribus verè poenitentibus, & confessis, atque manus porrigentibus adjutrices, (Ex Indulto Gregorii XIII. quinquies &c.) nec non Ordinis Ecclesias, & Capellam, vel Altare Confraternitatis annuatim devotè visitantibus, mille anni, & totidem quadragenæ misericorditer relaxantur. Innocentius IV. *Quoniam* ut supra.

*Tertio* in festis omnium Apostolorum per quamlibet illarum festivitatum præfatis Confratribus visitantibus Ordinis Ecclesias, & Capellam, vel Altare Confraternitatis, dando aliquid in adjutorium pro fabrica dictarum Ecclesiarum (Ex Indulto Gregorii XIII. quinquies &c.) centum anni, & centum quadragenæ Indulgentiæ suorum peccatorum; Eisdemque pariter verè poenitentibus, & confessis ad dictas Ecclesias Ordinis venientibus, & Capellam, vel Altare Confraternitatis, ut supra, visitantibus in omnibus festivitatibus Apostolorum, & Evangelistarum septuaginta anni, & totidem quadragenæ Indulgentiæ conceduntur. Gregor. IX. ut supra.

In festis Sanctorum Ordinis. Et primò in festo B. Augustini Doctoris Ecclesie, & per octavam ejus prædictis Confratribus verè poenitentibus, & confessis venientibus ad dictas Ordinis Ecclesias, & Capellam, vel Altare, ut supra, visitantibus, LXX. anni, & totidem quadragenæ Indulgentiæ conceduntur. Gregor. IX. ut supra. Eodemque festo prædictis verè poenitentibus, & confessis, qui ad Ecclesiam Ordinis,

& ad Capellam, vel Altare Confraternitatis causa devotionis accesserint, annuatim centum dies de injuncta poenitentia misericorditer relaxantur. Alex. IV. *Vita perennis* V. Idus Junii Pont. anno V. In omnibus pariter festivitatibus ejusdem B. Augustini prædictis Confratribus verè poenitentibus, & confessis, qui præfatas Ordinis Ecclesias, & Capellam, vel Altare Confraternitatis, ut supra, devotè visitaverint annuatim, & manus porrexerint adjutrices (Ex Indulto Gregorii XIII. quinquies &c.) mille anni, & totidem quadragenæ misericorditer relaxantur. Innoc. IV. ut supra.

*Secundò* in diebus festivitatum ejusdem S. Augustini, & S. Monicæ, Greg. XIII. *Ad augendam*, ut supra, prædictis Confratribus, qui poenitentes, & confessi, & sanctissima Communionem refecti Ecclesias Ordinis, & prædictam Confraternitatis Capellam, ac Sancti Augustini, & Sanctæ Monicæ hujusmodi sita Altaria à primis vespers usque ad occasum Solis, singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro pace inter Christianos Principes conservanda ac hæresium extirpatione, sanctæque Matris Ecclesie exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino perpetuò concedit. Nec non idem Greg. XIII. *Etsi cunctæ* Idib. Decemb. MDLXXX. prædictis similiter verè poenitentibus, & confessis, qui Capellam Sanctæ Monicæ in festivitate ejusdem Sanctæ Monicæ à primis vespers, ut supra, singulis annis devotè visitaverint, & inibi pro Sedis Apostolicæ exaltatione, hæresumque extirpatione pias ad Deum preces effuderint, & Eucharistiæ Sacramentum sumperint, etiam plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem elargitur.

*Tertio* in diebus item festivitatum ipsius D. Augustini, ac Sanctæ Monicæ ejusdem Augustini Matris, & S. Nicolai Confessoris de Tolentino nuncupati statuitur, & ordinatur, quòd omnes, & singuli utriusque sexus Confratres prædicti verè poenitentes, & confessi, qui Ordinis Ecclesiam, & Capellam, vel Altare Confraternitatis à primis vespers vigiliarum, & per totam diem festivitatum earundem inclusive devotè visitaverint annuatim, & manus ad ejusdem Ecclesie sive Capellæ, vel Altaris Confraternitatis reparationem, restaurationem, & augmentum porrexerint adjutrices, (Ex Indulto Greg. XIII. quinquies &c.) pro qualibet die festivitatum hujusmodi omnium, & singulorum suorum criminum, & delictorum, ac peccatorum, etiam si de illis tunc memores non extiterint, dummodò, si memoriam illorum haberent, illa consistendi propositum habuerint, & si recordati aliquando confessi fuerint, plenissimam auctoritate Apostolica remissionem misericorditer consequuntur: Sixtus IV. *Dum attentè* anno Incarnationis Dominicæ M CCCC LXXIX. XII. Kalen. Aprilis Pont. anno IX.

*Quarto.* Conceditur etiam prædictis Confratribus verè poenitentibus, & confessis, qui in Dominica festum S. Nicolai de Tolentino immediate sequente à primis vespers usque per totum diem ipsius Dominicæ Capellam ejusdem S. Nicolai, & Altare Confraternitatis devotè visitaverint annuatim, illa Indulgentia, & remissio peccatorum, quam visitantes Ecclesiam B. Mariæ in Portiuncula, aliàs dictam de Angelis, ut supra annuatim quomodolibet consequuntur. Bonif. IX. *Licet Is* Kalen. Martii Pont. anno XI.

ANNO  
1675.



ANNO  
1675.

In aliis diebus anni, Et primò in festis S. Joannis Baptistæ, & omnium Sanctorum prædictis per quamlibet illarum festivitatum visitantibus Ordinis Ecclesiæ, & Capellam vel Altare Confraternitatis, centum anni, & centum quadragenæ Indulgentiæ suorum peccatorum, dando aliquid in adjutorium pro fabrica dictarum Ecclesiarum sive Capellæ, vel Altaris Confraternitatis (Ex Indulto Gregorii XIII. quinques &c.) conceduntur. Gregor. IX. ut supra. Eisdemque verè pœnitentibus, & confessis, in Nativitate Sancti Joannis Baptistæ, nec non per ejusdem octavam, & celebritate prædicta omnium Sanctorum, qui devotè visitaverint Ecclesiæ Ordinis, & Capellam, vel Altare Confraternitatis ut supra annuatim, & manus porrexerint adjutrices (Ex Indulto Gregorii XIII. quinques &c.) mille anni, & totidem quadragenæ misericorditer relaxantur. Innocentius IV. *Quoniam &c.*

*Secundò.* A feria sexta post Dominicam tertiam Quadragesimæ usque ad octavam Resurrectionis Dominicæ prædictis verè pœnitentibus, & confessis, qui fide, ac reverentia præviis ad gratiam implorandum cum Eleemosinis accesserint (Ex Indulto Gregorii XIII. quinques &c.) diebus singulis, quibus Ordinis Ecclesiæ, & Capellam, vel Altare Confraternitatis ut supra visitaverint, Annorum decem & septem, & quadragenarum totidem Indulgentiam conceditur. Ex litteris authenticis Raynaldi Archiep. Thebani, ac in Urbe Vicarii Generalis Clementis Papæ V. anno M CCC IX. die XXX. Martii ejusdem Clementis Pont. anno quarto.

*Tertiò.* A Dominica septuagesimæ inclusivè usque ad octavam Paschæ, prædictis verè pœnitentibus, & confessis, qui devotè visitaverint Ordinis Ecclesiæ, & Capellam, vel Altare Confraternitatis ut supra annuatim, & manus porrexerint adjutrices (Ex Indulto Greg. XIII. quinques &c.) mille anni, & totidem quadragenæ misericorditer relaxantur. Innoc. IV. *Quoniam* ut supra.

*Quartò.* Leo X. *Cum sicut accepimus* die VI. Januarii M D XV. Pontificatus anno II. omnibus, & singulis corrigiatorum Confratribus in toto Christianorum Orbe constitutis, qui vel quæ orationem serotinam consuetam in Ordine Eremitarum Sancti Augustini singulis diebus in communi, vel ex se orationem pro statu S. R. E. & pro Summo Pontifice dici consuetam, vel eam, quæ incipit Salve Regina, devotè dixerint, septem annos de vera Indulgentia, & totidem quadragenas concedit, & indulget.

*Quintò.* Diebus Stationum in Missali Romano præscriptis, prædicti Cincturatum Confratres, qui contriti, & confessi in Ecclesiis Ordinis singulis diebus pro tempore quadagesimali visitaverint tria Altaria, scilicet Altare Confraternitatis, & alia duo à Prioribus ejusdem Ordinis deputanda, & quinque Pater noster, totidemque Ave Maria, ob reverentiam Dominicæ Passionis, & Gloriosæ Dei Genitricis Mariæ genibus flexis cum oratione, quæ pro Summo Pontifice fieri consuevit, videlicet *Deus omnium Fidelium Pastor &c.* dixerint, eandem Indulgentiam consequuntur, quam habituri essent, si Romanis Stationibus interessent. Qui verò dictam orationem dicere nesciverint, loco illius dicant Salve Regina pro felici conservatione status Ecclesiæ Romanæ, & Summorum Pontificum, qui pro tempore fuerint: Si verò tot Altaria non essent, ut prædictas orationes, & Pater cum Ave Maria replicent ante Altare Confraternitatis; Sixtus IV. *Per Signaturam.*

Innocentius deinde VIII. in Bulla *Cum aliis* die VII. Decembris M CD LXXXIX. Pontificatus anno VI. prædictas Indulgentias Stationum Almæ Urbis pro tempore quadagesimali ut supra concessas confirmavit, & ad Stationes totius anni (ad normam Missalis Romani, ut supra) extendit. Et nihilominus, si contingat aliquem ex legitima causa à locis, ubi sunt Ecclesiæ præfati Ordinis, sive Altare Confraternitatis abesse, in quacunque Ecclesia, & loco, etiam unum tantum Altare habente, si ante dictum Altare eas orationes, quæ ante tria Altaria fieri jubentur, ter dixerit, præfatas totius anni Indulgentias perinde consequatur, ac si eas coram tribus Altaribus, ut supra deputatis dixerit, indulset.

*Sextò* In Hebdomada majori, præfati Corrigiatorum Confratres verè pœnitentes, & confessi, qui Ordinis Ecclesiæ, & Capellam, vel Altare Confraternitatis ut supra, à primis vespereis diei Martis dictæ majoris hebdomadæ usque per totum diem Mercurii immediatè sequentem devotè visitaverint annuatim, & ad earundem conservationem manus porrexerint adjutrices (Ex Indulto Greg. XIII. quinques &c.) illam perpetuis temporibus Indulgentiam, & peccatorum remissionem lucrantur, quam visitantes Ecclesiam S. Marci de Venetiis Castellanen. Diocesis, in festo Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, annuatim quomodolibet consequuntur. Bonifacius IX. *Sincera Devotionis* IV. Kalen. Martii, Pontificatus anno IX. Eodem pariter die Mercurii, nec non die Jovis, & die Veneris hebdomadæ sanctæ, præfati Confratres verè pœnitentes, & confessi, qui devotè visitaverint Ecclesiæ Ordinis, & Capellam aut Altare Confraternitatis, ut supra annuatim, & manus porrexerint adjutrices (Ex Indulto Gregorii XIII. quinques &c.) à pœna & à culpa misericorditer relaxantur. Innocentius IV. *Quoniam* ut supra; Quam concessionem Sixtus IV. *Inter præcipuas* ut infra, Indulgentiam plenariam nominat.

*Septimò.* In omnibus Sabbatis Quadragesimæ prædictis Confratribus verè pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiæ Ordinis, & Capellam, vel Altare Confraternitatis, ut supra, qualibet die Sabbati singularum hebdomadarum Quadragesimæ devotè visitaverint annuatim, omnium peccatorum suorum remissio, & venia conceditur. Sixtus IV. *Cum ineffabilia* anno Incarnationis Dominicæ M CCCC LXXIX. XIII. Kalen. Julii Pontificatus anno VIII. Præterea singulis diebus Sabbati totius anni, iisdem verè pœnitentibus, & confessis, atque sacra communionem refectis, qui Ecclesiæ Ordinis, & Capellam, vel Altare Confraternitatis, ut supra, visitaverint devotè, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresium extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenaria omnium peccatorum suorum Indulgentia, & remissio misericorditer in Domino conceditur. Gregor. XIII. *Ineffabilia* die XXV. Januarii M D LXXXII. Pont. anno X.

*Octavò.* Iisdem Confratribus semel in vita, ut Confessorem idoneum Regularem dicti Ordinis (juxta Concilii Tridentini decreta ab Ordinario approbatum) quem ipsi Corrigiati, & eorum quilibet duxerit eligendum, qui ipsos Confratres, & eorum quemlibet ab eorum excessibus, & delictis absolvere, exceptis casibus in Bulla Cœnæ contentis, & casibus Episcopis locorum reservatis, ac aliis ad formam Consti-

ANNO  
1675.



ANNO  
1675.

tutionis *Quaecumque* Clementis VIII. & eis pro commissis poenitentiam salutarem injungere, ac plenariam omnium peccatorum suorum remissionem elargiri possit, Apostolica auctoritate conceditur, & indulgetur. *Quam* etiam in Articulo mortis verè poenitentes, & confessi consequi possunt. Julius II. *Dam fructus uberes*, ut supra.

*Nonò.* Plenariam quoque Indulgentiam in articulo mortis lucrari possunt prædicti Confratres, si verè poenitentes, & confessi nomen Jesu, ore, vel corde invocaverint. Gregor. XIII. *Etsi cunctæ* ut supra, & *Reddituri*, pariter ut supra.

In Processionibus. Et *Primò* Gregor. XIII. *Ad ea*, ut supra, omnibus, & singulis utriusque sexus Confratribus prædictis verè poenitentibus, & confessis, qui quartâ Dominicâ cujuslibet mensis, cessante legitimo impedimento, dictâ Processioni interfuerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem; ac eisdem Confratribus Missæ solemnî quartâ Dominicâ cujuslibet mensis ad Altare Confraternitatis, ac etiam privatæ Missæ in Oratorio, sive Altari ejusdem Confraternitatis dictâ quartâ Dominicâ celebrari solitis interfuerint, ac inibi pro Rom. Pont. conservatione, & exaltatione Sedis Apostolicæ, & unione Principum Christianorum, hæresumque extirpatione pias ad Deum preces effundentibus, centum dies de injunctis eis, aut aliâs quomodolibet debitis poenitentis misericorditer in Domino concedit, & relaxat. Eandem plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem in Processione præfatæ Dominicæ elargitur idem Gregor. XIII. in Brevi *Reddituri*, ut supra, verè poenitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, & ut præferatur orantibus. Plenariam pariter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem idem Gregor. XIII. *Ad augendam*, ut supra, præfatis omnibus utriusque sexus dictæ Confraternitatis Confratribus, quando poenitentes, & confessi, & sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refecti Processionem semel in mense celebrant, misericorditer in Domino perpetuò concedit.

*Secundò.* Gregor. XIII. *Etsi cunctæ*, ut supra, eisdem associantibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, dum ad aliquem infirmum deferretur, aut qui infirmitate impediti id facere nequiverint, campanæ ad id signo dato genuflexi, si commodè poterint, ter Orationem Dominicam pro eodem infirmo recitaverint, centum dies; Deinde ipsius utriusque sexus Confratribus, qui Processioni in festivitate Sanctæ Monicæ fieri solitæ interfuerint, etiam centum dies; Præterea idem Pontifex in alio *Reddituri*, ut supra, Confratribus præfatis, qui ad Processiones faciendas convenerint, etiam sexaginta dies de eis injunctis, seu aliâs quomodolibet debitis poenitentis misericorditer in Domino relaxat.

In exercitio piorum operum. Et *Primò* omnibus utriusque sexus Confratribus, qui dederint secundum propriam eorum devotionem aliquam Eleemosynam pro reparatione, & ædificatione Domorum, & sustentatione Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini, sive Capellæ vel Altaris, aut Oratorii Confraternitatis (Ex Indulto Gregor. XIII. quinquies, &c.) conceditur facultas, quòd possint eligere Confessorem idoneum Presbyterum sæcularem, vel cujusvis Ordinis Religiosum ab Ordinario, utrum-

que ut supra, approbatum, qui eorum confessionibus diligenter auditis pro commissis per eos excessibus, criminibus, delictis, quantumcumque gravibus, & omissionibus horarum canonicarum, & à censuris, & pœnis quâvis causa, vel occasione laris (exceptis casibus reservatis ad formam Constitutionis *Quaecumque* Clementis VIII. ut supra) toties quoties opus fuerit, de quibus corde contritis & ore confessi fuerint semel in vita, & semel in mortis articulo, plenariam remissionem omnium peccatorum ipsis in sinceritate fidei, unitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, & devotione Romanorum Pontificum persistentibus impendere, ac poenitentiam salutarem injungere valeant, & si forsitan contingat, personas præfatas sine Confessione decedere, dummodò aliqua signa contritionis ante obitum eorum in eis apparuerint, vel morte repentina ab hac luce subtrahi fuerint, etiam plenariam absolutionem, & remissionem hujusmodi consequuntur; quòd si dederint eandem, ut supra, Eleemosynam pro defuncto (seu ex Indulto Gregor. XIII. &c.) verè poenitentes, & confessi eandem Indulgentiam consequuntur; ita quòd plenaria Indulgentia hujusmodi pro plenissima relaxatione poenitentibus, quibus in Purgatorio igne sunt expositæ animæ defunctorum, suffragetur, prædictique Confratres benefactores Confraternitatis, tam vivi, quàm defuncti, sunt participes in perpetuum in peregrinationibus, & stationibus Terræ Sanctæ, & liminum Apostolorum Petri, & Pauli, & Jacobi in Compostella, & in omnibus suffragiis, precibus, elemosynis, jejuniis, orationibus, disciplinis, & cæteris omnibus spiritualibus bonis, quæ fient, & fieri poterunt per Fratres dicti Ordinis, & in tota Sacrosancta militante Ecclesia, & in omnibus membris ejusdem. Sixtus IV. *Inter præcipuas*, Anno Incarnationis Dominicæ MCDLXXVII. VI. Kalendar. Decembris, Pontificatus anno septimo.

*Secundò.* Prædictis Confratribus existentibus Procuratoribus dicti Ordinis sive Confraternitatis centum anni, & facientibus Eleemosynam eidem Ordini, sive Confraternitati (Ex Indulto Gregor. XIII. quinquies &c.) quadraginta anni conceduntur Indulgentiæ. Martin. IV. *ex Transumpto Ojensi* ut supra. Præterea Gregorius XIII. *Etsi cunctæ*, etiam ut supra eisdem Confratribus, quoties Divinis Officiis in Capella, aut Oratorio Confraternitatis celebrandis, aut Congregationibus, vel Orationibus per eosdem Confratres, & Sorores fieri solitis interfuerint, vel ex alio casu præstiterint auxilium, consilium, vel favorem, centum dies; Et in alio *Reddituri*, etiam ut supra, iisdem qui ad Divina Officia recitanda, mortuos sepeliendos convenerint, aut infirmos, & carceratos visiterint, Sexaginta dies de eis, seu aliâs quomodolibet debitis poenitentis misericorditer in Domino relaxat.

*Tertio, & ultimò.* Præfati Confratres, & Consores gaudent non solum omnibus Indulgentiis, quæ directè concessæ fuerint toti Ordini Eremitarum S. Augustini ex præfatis Constitutionibus Apostolicis, verum & quibuscumque aliis, quas eidem Ordini concesserunt per communicationem cum Ordinibus Prædicatorum, & Minorum Sixtus IV. in Mari Magno *Dum fructus uberes*, VII. Id. Februar. MCDLXXIV; Prædicatorum atque Carmelitarum, & Servorum Julii II. *Etsi die XVII. Junii MDVIII.* Cum Mendican-



ANNO  
1675.

tibus omnibus idem Julius *Religionem Vestram*, die trigesima Junii MDVIII. Cum aliis Ordinibus & Congregationibus, idem Julius *Nihil est*, die XXIV. Septembris MDVIII. Cum iisdem Ordinibus omnibus universalissimè Alexandri *V. I. Sacra Religionis*, die VIII. Martii MCDXCVII. Leo X. *In rerum*, die X. Junii MDXIII. & Gregorius XIII. *Ad augendam* ut supra; tum etiam Clemens VII. *Romanus Pontifex*, die ultima Octobris MDXXX, per communicationem cum prædicto Ordine Eremit. & cum Ordinibus omnibus, eorumque Confraternitatibus in amplissima forma sub his verbis. Ipsosque Fratres, Moniales, Sorores, Personas, Monasteria, Domos, Ecclesias, & alia loca Religionis hujusmodi, omnibus, & singulis Privilegiis, Exemptionibus, Indultis, & Gratiis quibusvis dicti, & aliorum Ordinum, etiam Mendicantium, etiam de Observantia nuncupatorum, ac Ordinis Prædicatorum, Carmelitarum, Beatæ Mariæ Servorum, ac Minimorum, & aliorum quorumcumque Ordinum Fratribus, & Personis, ac Congregationibus, Confraternitatibus, illorumque Ecclesiis, Oratoriis, Domibus, & aliis piis locis, illorumque Prioribus, Fratribus, & Sororibus, converis, & oblati, corrigiatis, mantellatis, & de Pœnitentia nuncupatorum, & aliis utriusque sexus personis per eisdem Prædecessores, ac etiam per Nos quomodolibet, etiam vivæ vocis oraculo in genere concessis, & imposterum forsan concedendis &c. uti, frui, & gaudere posse, & debere in omnibus, & per omnia, perinde ac si Tibi, & Ordini tuo, ac Fratribus, Monasteriis, Ecclesiis, & Locis ejusdem Ordinis tui concessa fuissent, scientia, auctoritate, & tenore præfatis etiam decernimus. Et cum eodem Ordine Eremitarum S. Augustini tantum Julius II. die 2. Julii MDXII. in Brevi *Præ ceteris*, his verbis. Declarantes insuper tres superiores ejusdem Ordinis gradus, videlicet Fratres, Moniales, & Mantellatos, quod omnibus, & singulis Privilegiis, gratiis, & indultis, quæ in Mari Magno, seu aliis concessionibus, tam per Nos, quam per alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros Ordini antedicto concessis continentur, & expressa sunt, integrè perfrui debeant, & possint, sed quarti gradus utriusque sexus personæ, quibus zonam dari consuetum est, Indulgentiis tantum gaudeant. Hoc iisdem ferè verbis habet Leo X. die X. Maji MDXIII. *Præ ceteris*; quarum vigore litterarum Apostolicarum, ommissis iis, quæ dictis Indulgentiis sunt consimiles, aliisque pluribus, selectæ sunt infra scriptæ Indulgentiæ.

Prædictis Confratribus, & Confororibus verè pœnitentibus, & confessis, seu firmum confitendi propositum habentibus, qui Capellam, sive Altare Confraternitatis singulis diebus Dominicis cujuslibet Quadragesimæ, ac in Resurrectionis, & Ascensionis D. N. I. C. ac Pentecostes, & Sanctissimæ Trinitatis, & Nativitatis ejusdem D. N. I. C. festivitatum diebus à primis Vesperis singularum Dominicarum, seu dierum hujusmodi usque ad occasum Solis cujuslibet ipsarum devotè visitaverint, & ibidem ter Orationem Dominicam, toties Salutationem Angelicam recitaverint, plenaria, & vera omnium peccatorum suorum Indulgentia, & remissio; aliis verò singulis Dominicis diebus cujuslibet respectivè anno modo præfato visitantibus XXX. anni, & totidem quadragenæ de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxantur. Leo X. *Esti cuncta* MDXVIII. Kalend. Julii, Pont. anno VI. *Oracula vivæ vocis*.

Vigore Constitutionis Julii II. *Religionem Vestram*, nec non Clementis VII. *Romæ Pontificis*, quibus conceditur communicatio privilegiorum cum aliis Ordinibus, etiam vivæ vocis oraculo, tam concessorum, quam imposterum concedendorum.

*Primò.* Prædicti Confratres visitantes Altare Confraternitatis, & sex alia Altaria deputanda in Ecclesiis Ordinis, consequuntur eas Indulgentias, quas habere & consequi valerent & possent, si septem Ecclesias Privilegiatas inviserent, & adirent, quæ intra & extra Urbis Romæ mœnia constructæ reperiuntur. Pius V. *ex litteris Orig.* Joan. Pauli tit. Sancti Pancratii S. R. E. Cardinalis ab Ecclesia nuncupati sub Dat. Romæ anno MDLXXI. die vigesima quinta Novembris, Pontificatus ejusdem Pii V. anno VI.

*Secundò.* In omnibus diebus Communionis, quæ solet fieri in Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini, scilicet in prima Dominica Adventus, in die Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, in die Epiphaniæ, in Purificatione Beatæ Mariæ Virginis, in prima, & quarta Dominica Quadragesimæ, in Annunciatione Beatæ Mariæ Virginis, feriâ quintâ in Cena Domini, in Dominica Resurrectionis Domini, in Ascensione ejusdem, in die Sancto Pentecostes, in Festo Corporis Christi, in Nativitate Sancti Joannis Baptistæ, in Festo Apostolorum Petri, & Pauli, in Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, in Festo Sancti Augustini, in Nativitate ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, in Festo Sancti Michaelis Archangeli, & in solemnitate omnium Sanctorum, Prædicti utriusque sexus Corrigiatorum Confratres pœnitentes & confessi, & sacra Communionem refecti, si post ipsam Communionem genibus flexis recitaverint Orationem, Deus omnium fidelium, &c. aut Orationem Dominicam, si prædictam nescierint, pro conservatione status Sanctæ Matris Ecclesiæ, ac à Romani Pontificis pro tempore existentis, ex gratia, & concessione Sedis Apostolicæ plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam diebus prædictis consequuntur.

Omnès supradictæ Indulgentiæ fuerint approbatæ, confirmatæ, & innovatæ à diversis Pontificibus respectivè, nec non S. R. E. Cardinalibus, Archiepiscopis, Prælati, ac Ministris pro manutatione commendatæ, inter quos præcipuè sunt sequentes.

Alexander IV. in Bulla *Odore suavi*, Idib. Julii. Pontificatus anno primo. Idem, & Nicolaus III. *ex Transumpto Offensi* ut supra. Celestinus V. *ex Bulla Ex parte dilectorum*, Nonis Decem. anno primo. Urban. VI. in Bulla *Solet annuere*, XI. Kalen. Maji anno XI. Sixtus IV. in Bulla *Dum fructus uberes*, ut supra, item in Bulla *Inter precipuas*, etiam ut supra, qui omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, concessionem, ac peccatorum plenarias remissiones, quocumque nomine nuncupata, & sub quibuscumque tenoribus eidem Ordini Fratrum Eremitarum Sancti Augustini illiusque Fratribus, & domibus quomodolibet concessa, sive à Sede Apostolica, sive à suis Prædecessoribus. & ea, quæ à quibusvis Prælati, & personis Ecclesiasticis, & à Regibus, & Principibus, seu aliis Christi fidelibus indulta sunt, confirmavit. Julius II. in Bulla aurea *Dum fructus uberes*, ut supra, item in Brevi *Et si ad bene*, die XVII. Junii MDVIII. anno V. & in Brevi *Exigit*, die XXI. Julii MDXI. anno VIII. & in alio *Nihil est*, die XXIV. Septembris MDVIII. anno V. Leo X. *In rerum Christianarum*, X. Junii MDXIII. anno primo, & in Bulla *Solet annuere*, ut supra, & in Brevi *Licet spontè*,  
die

ANNO  
1675.



ANNO  
1675.

die VI. Maji MDXIV. anno II. Clemens VII. Rom. Pontifex pariter ut supra. Gregor. XV. in amplissima forma in Bulla *Injuncti nobis* III. Non. Junii MDCXXI. anno primo, post revocationem factam à Paulo V. *Cum certis*. Quæ quidem Bulla Greg. XV. à Sacra Congregatione Indulgentiarum, & Reliquiarum fuit diligenter examinata, eademque censuit nihil ob stare, quò minus Confratres Archiconfraternitatis Cincturatorum, eique aggregatarum Confraternitatum uti, & frui possint ac debeant omnibus, & singulis Indulgentiis in eadem Bulla confirmatis, & innovatis, non obstante præfata Pauli V. revocatione, ut ex decreto ejusdem Sac. Congregat. sub die XVII. Aprilis MDCLXXXIII. patet.

*Indulgentia pro cunctis utriusque sexus Christi fidelibus visitantibus Ecclesias Ordinis, vel exercentibus opera pia.*

Alexander IV. omnibus venientibus ad Prædicationem Fratrum Eremitarum S. Augustini centum, & octoginta dies concedit Indulgentiæ, ex Transumpto Osenfis ut supra. Martinus IV. & Joannes XXII. omnibus visitantibus dicti Ordinis Monasteria in omnibus festivitibus Sanctorum, & Sanctarum dicti Ordinis, præcipue B. Augustini & Beatæ Monicæ Matris ejus, & per Octavas ipsarum, & Translationibus & Conversione Sancti Augustini, pro qualibet ipsarum festivitatum concedit quadraginta annos, & totidem quadragenas Indulgentiæ. Nicolaus Tertius supradictas Indulgentias, & in aliis anni diebus pro qualibet die concedit centum dies Indulgentiæ, & adhuc remittit omnibus morientibus in habitu S. Augustini, si elegerint sepeliri in dicto habitu, quartam partem suorum peccatorum. Hoc idem Clemens IV. concedit de habitu, ex transumpto ut supra. Nicolaus IV. *Licet is*. VIII. Idus Februarii anno primo, omnibus verè poenitentibus, & confessis, qui in festivitibus Assumptionis B. Mariæ Virginis, & S. Augustini Confessoris usque ad octo dies sequentes annis singulis cum devotione debita venerabiliter visitaverint, centum dies de injunctis eis poenitentis misericorditer relaxat. Urbanus V. omnibus Benefactoribus Ordinis concedit suffragia, orationes, & bona facta per Fratres dicti Ordinis, & quæ sunt per totam universalem Ecclesiam in perpetuum, in quibus vult, ut sint participes tam vivi, quam defuncti.

Nobis propterea præfatus Josephus Episcopus dilectorum filiorum Nicolai Olivæ Prioris Generalis, ac totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur piis eorundem Josephi Episcopi, ac Nicolai Prioris Generalis, & Fratrum dicti Ordinis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositorum, qui Indulgentias in *Summarium* hujusmodi redactas promulgari posse censuerunt Consilio, *Summarium*

præsertum, omniaque, & singula in eo contenta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, & quatenus opus sit, omnes & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, & poenitentiarum relaxationes in eodem *Summario* expressas, de novo eadem auctoritate harum serie perpetuò concedimus, nec non præsertum *Summarium* duntaxat, abrogatis reliquis omnibus *Summariis* Indulgentiarum Archiconfraternitatis, & Confraternitatibus Cincturatorum hujusmodi concessarum ante hac editis, de cetero publicari, atque servari debere decernimus, & declaramus.

Præterea omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Archiconfraternitatem, vel aliquam ex Confraternitatibus illi jam aggregatis, & imposterum quodcumque aggregandis de cetero ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè poenitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Utque omnes, & singula Indulgentiæ præfate animabus Christi fidelium, quæ Deo in charitate cunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, indulgemus.

Et quia præcipua principalisque solemnitas Archiconfraternitatis, & Confraternitatum præfatarum, ex concessione dicti Gregorii XIII. Prædecessoris per quasdam suas litteras, quarum initium *Cupientes &c.* die XX. Novembris. MDLXXVI. expedita (ut asseritur) facta cum Processione quottannis primâ Dominicâ Adventus communiter celebrari consuevit, ipsarumque Archiconfraternitatis, & Confraternitatum Confratribus, & Consonoribus, qui Processioni hujusmodi interfunt, & injuncta pietatis opera adimplent, plenaria Indulgentia concessa reperitur. Nos specialem eisdem Confratribus, & Consonoribus, quibus dicta dies Dominica minus commoda esse dicitur, gratiam facere volentes, Solemnitatem, ac Processionem, & Indulgentiam plenariam hujusmodi à dicta prima Dominica Adventus ad Dominicam primam post festum Sancti Augustini, servatâ tamen in reliquis earundem Gregorii XIII. Prædecessoris litterarum formâ, & dispositione, ac sine ullo specialium Indulgentiarum Apostolicorum, per quæ nonnullis ex dictis Confraternitatibus dies proprii pro ejusmodi solemnitate celebranda assignati sunt, præjudicio, auctoritate, & tenore prædictis transferimus. Decernentes easdem præfatas litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quatenus opus sit nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transfumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus per-

ANNO  
1675.



ANNO  
1678.

sonæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Martii MDCLXXV. Pontificatus nostri anno quinto.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

I. G. Slufius.

### Decretum Sacræ Congregationis

*Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositæ.*

**C**um Summarium Indulgentiarum Archiconfraternitatis Cincturatorum Sancti Augustini, & Sanctæ Monicæ sub invocatione Beatæ Virginis MARIÆ de Consolatione, erectæ Bononiæ, fuerit à Sacra Congregatione recognitum die 11. Septembris 1674. & à sel. rec. Clemente X. confirmatum, ac Brevi insertum, quod incipit, *Ex iuncto nobis &c.* dato die 27. Martii 1675, nihil obstat, quò minus possit seorsum à Brevi iterum imprimi, & ubique promulgari; & Indulgentia præsertim ibidem expressa à Bonifacio IX. in Dominica Festum S. Nicolai de Tolentino proximè sequente concessa, quam nonnulli satis non advertentes eandem esse arbitrarentur ac illam in novissimo Decreto huius Congregationis lato die 7. Martii 1678. adnumeratam apocryphis, & falsis; cum tamen *Die, aliisque circumstantiis* ab ipsa diversa sit. Romæ die 5. Julii 1678.

A. Card. Homodeus.

Loco ✠ Sigilli.

*Michael Angelus Riccius Sacr. Congr. Secr.*

ANNO  
1676.

## INNOCENTIUS UNDECIMUS, PONTIFEX CCXLIV.

ANNO DOMINI MDCLXXVI.

**I**nnoCentius Comensis, antea Benedictus Odeschalchus Anno 1676. Pontifex recunciatus. Vitâ, moribusque integerrimis, alienus à suis, Pauperibus addictus. Christianorum armis contra Turcas ingenti pecuniâ prestò fuit. Quæis devictis in rei memoriam Festum S. Nominis Mariæ quotannis celebrari iussit. Ludovicum XIV. Galliæ Regem insensum habuit. Michaelis Molinos Hispani Quietistarum Antesignani errores diris devovit. Obiit Anno 1689. cum annum decimum tertium regnaret. (*Magni Bullarii Romani huius Editi Luxemb. 1727. Tom. VII. Fol. 1. App.*)

Ex Calvo-  
rii hist.  
Schym,  
pag. 577.

Damnatio Propositionum, & Errorum Michaelis Molinos: Anno 1687.

ANNO  
1687.

## INNOCENTIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**C**oelstis Pastor Christus Dominus, ut jacentem in tenebris mundum, variisque Gentium erroribus involutum, à potestate Diaboli, sub qua miserè post lapsum primi nostri parentis tenebatur, sua ineffabili miseratione liberaret, carnem sumere, & in ligno Crucis Chirographo Redemptionis nostræ affixo, in testimonium suæ in nos charitatis, sese Hostiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus est. Mox rediturus in Cælum Ecclesiam Catholicam Sponsam suam, tanquam novam Civitatem, Sanctam Jerusalem, descendentem de Cælo, non habentem rugam, neque maculam, unam sanctamque in Terris relinquens, armis suæ potentæ contra portas inferi circumvallatam, Petro Apostolorum Principi, & Successoribus ejus regendam tradidit, ut Doctrinam, ab ipsius ore hautam, sartam custodirent, ne Oves pretioso sanguine suo redemptæ pravæ opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod præcipuè Beato Petro mandasse nos Sacræ Litteræ docent. Cui enim Apostolorum nisi Petro dixit: *Pasce oves meas?* Et rursus, Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos. Quare Nobis, qui non nostris meritis, sed inscrutabili Dei omnipotentis Consilio in ejusdem Petri Cathedra pari potestate sedemus, semper fixum in animo fuit, ut populus Christianus eam sectaretur fidem, quæ à Christo Domino per Apostolos suos perpetua, & nunquam interrupta traditione prædicata fuit, quamque ipse usque ad consummationem seculi permanuram esse promissit.

Cum igitur ad Apostolatam nostrum relatum fuisset, quemdam Michaellem de Molinos prava dogmata, tum verbo tum scripto docuisse, & in praxim deduxisse, quæ prætextu Orationis quietis contra doctrinam, & usum à Sanctis Patribus ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis receptum, Fideles à vera Religione, & à Christianæ pietatis praxi in maximis errores & turpissima quæque inducebant; Nos, cui cordi semper fuit, ut Fidelium animæ nobis ex alto commissæ, purgatis pravæ opinionum erroribus, ad optatum salutis portum tutò pervenire possint, legitimis præcedentibus iudiciis, prædictum Michaellem de Molinos Carceribus mancipari mandavimus, deinde coram Nobis, & Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, in tota Republica Christiana generalibus Inquisitoribus, Apostolica auctoritate specialiter deputatis, auditis pluribus in Sacra Theologia Magistris, eorumque suffragiis, tum voce, tum scripto susceptis, maturèque perpensis, imploratâ etiam Sancti Spiritus assistentiâ, cum prædictorum Fratrum nostrorum unanimi voto ad damnationem infracriptorum propositionum ejusdem Michaelis de Molinos, à quo fuerant pro suis recognitæ, & de quibus propositionibus tanquam à se dictatis, scriptis communicatis, & creditis ipse convictus, & respectivè confessus fuerat, ut latius in processu, & Decreto de Mandato nostro lato die 28. Augusti anni præsentis 1687. patet, devenire, ut infra, decrevimus.

### PROPOSITIONES.

I. Oportet Hominem suas potentias annihilare: & hæc est via interna.

II. Velle operari activè est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens, & ideo opus est se ipsum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & postea permanere, velut Corpus exanime.

III. Vota